

1510 magnopere admittente, qui Ludovicum Francisci Mantuanorum principis filium obsidis loco apud se habebat, post plerasque interpositas a patre satis quidem duras atque iliberales & stipendiorum & reliquarum rerum conditio-nes, quæ ejus animum ab uxore depravatum ostendebant; tandem alterum Senatusconsultum factum est: quo per quinquennium idem imperium est ei traditum cum stipendio librarum auri quingentiarum in annos singulos: dum ipse equites gravioris armaturæ tercentum quinquaginta, levioris centum, milites ducentos belli tempore paratos habeat: resque publica omnia ejus ditionis incommoda omnibus ab hostibus se præstaturam pollicebatur. pauloque post illius familiari Vico, Patavino homini, quo is pluries iisdem de rebus internuncio apud Patres usus fuerat, equites levis armaturæ centum attributi. Ob Citoli Laetantiique interitum milites non pauci ex illorum ordinibus nulla abeundi facultate sibi permissa, sigillatim ab exercitu discedebant. quod quidem factum nonnulli reliquorum tribunorum & centurionum milites imitabantur. quamobrem edictum est ab legatis propositum, ut qui non missi abitum paravissent, omnibus in reipublicæ locis caperentur, & armis exuerentur, ignominiaque notarentur. ea res ei licentiæ opportunum remedium fuit. Cæterum cum ex Alpibus certis auctoribus afferretur, Germanorum manus comparari, ut reipublicæ municipia in primis jugis invaderent; quibus captis ac direptis in planitiem descendenter: Sigismundus Caballus est ad ea loca cum copiis ab legatis contendere jussus præfecti nomine. Franciscus imperator Bononiam ad Julium profectus hilariter ab illo exceptus est, imperatorque Romanæ etiam reipublicæ dictus. Galli, qui ad Mincium venerant, uti supra dictum est, ad Alfonsum, ut ei auxilio contra Julium essent, se contulerunt.

Legati, ut Julio satisficeret, equites graviores ducentos & quinquaginta, leviores fere totidem, milites bis mille in Alfonsi fines intromiserant: Maurusque classis præfetus cum naviolis plurimis & biremibus aliquot, cumque tri-

remi-